



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Et Virtutes Venerabilis Patris Ludovici De Ponte, Societatis Jesu

Lamparter, Heinrich

Jngolstadii, 1662

Cap. III. Ludovici Novitiatus, & Vota.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43978

titur ad
Societa-
tem.

eum voluntate admisit, fausto die,
qui S. Francisco Xaverio sacer est;
bono prælagio, quàm propè ad
Apostolicum ejus zelum pro alio-
rum salute, & gloria Dei esset olim
accessurus. Atq; horum omnium
nihil cuiquam è suis, nec fratribus,
neque adeo matri detexit, viriliter
omnes difficultates secum con-
coquens; donec secunda die De-
cembris, Anno Domini 1574. vi-
gesimo ætatis, absoluto jam secun-
do cursus Theologici, Vallisoleti,
primus omnium in Collegium S.
Ambrosij receptus, & ut ex tabulis
constat, Medinæ Campi Domum
Probationis ingressus est.

CAPUT III.

LYDOVICI NOVITIATUS
& Vota.

I.

POST separationem Provin-
ciæ Castellanæ à Toletana, P.
B 4 Baltha-

*Anima-
tur fer-
vore Ti-
ronum
Societa-
tis.*

Balthasar Alvarez ijs moribus in-
stituerat Domum probationis
Medinae Campi, ut simul primùm
in eam receptus Ludovicus con-
spexit, quantis animis, & ardoribus
ad studium virtutis Tirones in-
cumberent, omnes illi timores,
quibus hactenus tenebatur, dis-
fluxerint. Ita enim ipse scribit in
vita P. Alvarez, adducto superius
cap. 19. *Ut veni ad hoc Medinense
tirocinium, intra paucos dies videns,
quàm seridè Tirones illi mundum cal-
cabant, seque ipsos contemnebant, &
mortificabant, quantòque studio Chri-
stum Dominum nostrum sequebantur,
& consilia ejus Evangelica amplecte-
bantur; adeò quietus & contentus
mansi electione, quam feceram, ut per
DEI misericordiam, neque in Novi-
ziatu, neque extra illum senserim
motum tristitia, vel pœnititudinis. Imò
nescio quo spiritu talis mihi insedit
imaginatio, quòd si vel octo annos*
vita

vita haberem, & eo modo viverem,
magnus Sanctus evaderem.

II.

Ex quo conijcere est, quantus Pluri-
evaserit annis ferè 40. quibus su-^{mum}
pervixit, cum ab ipso statim ingres-^{proficit}
su fuerit habitus pro viro perfecto. ^{in virtu-}
Ita enim testatus est Franciscus de ^{tibus.}
Prato, quondam Præpositus Pro-
vinciæ Castellane, his verbis. Mul-
tùm eo sum usus per annos 38. partim
novitiuus & subditus, partim Superior:
ac toto illo tempore perspexi in eo tale
studium, tam vividum desiderium
perfectionis, gloria Divina, & salutis
animarum, ut videretur semper fla-
grare hoc studio ac desiderio, ne ad mo-
mentum quidem temporis cessando,
quin semper magis magisque in per-
fectione procederet, nulla occasione
mediòve proficiendi prætermissio: nec
alia de re unquam loquebatur, aut so-
licitus erat, quàm de ista. Et hanc opi-
nionem sanctitatis de illo habuerunt

B 5 non

non domesticitantum, sed etiam alijs
 quibuscum agebat, Religiosi, Principes,
 & Summates viri. Hæc ille. Nec
 absimilia Jacobus de Sosa, bis
 Præpositus eidem Provinciæ, qui
 46. annis vixit in Societate. Ex
 quo tempore, inquit, Societatem in-
 travit, anno ætatis vigesimo, ab omni-
 bus est habitus pro viro perfecto, &
 ego semper eum habui pro magno pro-
 digio virtutis & sanctitatis: & quot-
 quot egerunt cum illo, cujuscunque
 conditionis & ordinis, quos ego nove-
 rim, reputabant eum pro homine san-
 ctissimo, & absolutissimo; in quo nihil
 reperiebatur, quod non deceret virum
 perfectum & Apostolicum. Quæ duo
 testimonia tanto pluris æstimanda
 sunt, quanto viri illi cautiores erant
 in loquendo, ne quidquam dicen-
 do exaggerarent.

III.

Primum initium vitæ religiosæ,
 juxta constitutionem S. Patris no-
 stri

stri Ignatij, posuit in spiritualibus exercitijs, per integrum mensem: quæ licet aliquibus, ex P. Alvarez instituto, produci solerent ad septuagesimum diem; Ludovico tamen, jam antea divinis meditationibus assueto, visum est mensem unum sufficere. Hoc, & reliquo *Orationi* tempore Novitiatus, dici vix potest, quantum vela devotioni, & *studet* *impensè* intimæ necessitudini cum Deo laxaverit. Statuerat, ei, quidquid ab alijs officij sui rebus vacui temporis haberet, impendere: fecitque id exactissimè, in genua profusus ante imaginem Deiparæ, quam ex S. Lucæ exemplo, allatam Roma à P. Alvarez, hodiè que in ejus Novitiatus sacello, pro communi solatio servant. Usus est autem familiaritate Divina, non solum ad animi sui delicias, sed etiam ad incitamentum vincendi se ipsum, ac deprimendi, omnes alios æstimando

do

do se superiores; itaque de illis, & cum illis loquendo; de suis autem rebus humillimè. Gaudebat comitari emptorem, ut instar mediastini portaret res emptas. Cum tradendæ doctrinæ Christianæ dies esset, procedebat cum parvulis cantando, & eos instruendo magna cum alacritate, pari fructu, gustuque spectantium, & incremento suæ virtutis. Petebat sepe licentiam in Nosodochio serviendi egrotis: ibi cum gaudio verrebat pavimentum, sternebat lectos, purgabat vasa, levabat infirmos, ministrabat necessaria. Reperit quondam inter ægrotos pauperem, obsitum sordibus & illuvie, quem propter horrorem & fœtorem, desertum ab omnibus ubi conspexit, Christum agnoscens in eo, suaviter amplexus est, abluit, recentibus linamentis, à præfecto domûs hospitalis impetratis, induit, loci sal-

suram

*In hospi-
tali ser-
vit ægro-
tis.*

suram & auram correxit, assedit,
adhibuit quidquid erat solaminis,
magna cum omnium approba-
tione.

IV.

Neque domestica omisit exer-
citia: primus ad abjecta, impiger
ad servitia coqui, & agrorum: saepe
ab accumbentibus mensæ, flexis
genibus, veniam culparum & er-
rorum petivit; totus denique in
omnimodam sui victoriam inten-
tus, intimas motuum animi se-
quiorum causas rimabatur, & stir-
pitus conabatur evellere, nihil
dissimulando: cumq; esset natura
ferventior, & incitator, eam ita
subegerat, ut omnibus videre-
tur blandior, & ut ajunt, oleo tran-
quillior. Quamvis hanc animi
moderationem ac disciplinam fa-
ceret, quamque sublimiter de illa
sentiret, suo loco dicemus. Nihil
tamen segnior fuit in castigatione
corporis,

*Studet**penitus**vincere**se ipsum.*

corporis, quod per flagra, cilicia, vigilias, jejunia sic infirmaverat, ut opus fuerit ei per obedientiam habenas adducere, ac temperare rigorem. Atque ut promptissimum ad parendum, sic etiam erga Moderatores candidissimus fuit, nihil eos celando, quod ageretur in animo suo; quæ quidem omnia observabat studiosissimè, solertissimè deprehendebat, ut sinus omnes pectoris ejus oculis expositos crederes. Ad quod accedebat summa quædam æstimatio, & reverentia magistri sui spiritualis, qui fuit P. Rodericus Arias, cum fama eximij servi Dei postea Vallisoleti defunctus. Hinc oriebatur, ut ab ejus institutione in omnibus, velut ab ore DEI, penderet, certus per eam se tutis itineribus ad absolutam sui victoriam, & sanctitatem ducendum.

V.

V.

His talibus studijs per novitia-
tum, rapuit in se omnium oculos,
ut omnibus exemplo fuerit, & in-
citamento. Nam & gratia vocatio-
nis ad hunc ordinem, & generosa
ejus voluntas inter illa certamina,
& vita à teneris usque non inno-
cens tantùm, sed etiam sancta, ma-
gno illi adjumento fuerunt, ut
alios omnes longè præcederet.
Unde etiam superioribus visum
est, eum, nondum finito biennio
Tirocinij, 26. Martij 1576, mittere
Vallisoletum, ad absolvenda stu-
dia in Collegio S. Ambrosij: quod
ei grave accidit, propter matrem,
fratres, & cognatos, à quorum
consuetudine mentem suam præ-
culamoverat. Sed cum hoc ipsum
Superiores novissent, non plus ei
timuerunt à patria, quàm si mit-
teretur ad Sinas, aut Japones. Et
verò ita se ibi gessit, ut non nisi
jussus

*Mitti-
tur Val-
lisoletū
ad stu-
dia ab-
solvenda.*

*Cum ma-
tre nec
verbum
locutus.*

iustus accesserit semel ad matrem cum
& cum ea nullum verbum sit locu- quòd
tus, oculis in solum defixis; donec cietate
à Patre, qui eum duxerat, monere
tur officij sui, quòd sit missus à Re- STVI
ctore, ut matrem salutaret. Illa ve-
rò nihil offensa ejus taciturnitate
quòd nòsset animum ejus ad o-
mnem virtutem, illum ut filium
dilexit, & suspexit ut sanctum. E-
dem cōstantiâ fuit vsus quondam
erga matronam, arctâ necessitudi-
ne conjunctam, cui, quòd solùm
ejus videndi & alloquendi gratia,
tametsi ex longinquo venerit, sic
admodum renunciari curavit, sibi
fas non esse loqui cum ea, nisi in
Confessionali, vbi se mutuo con-
spicari non possint. Neque verò
vnquam cum cognatis locutus est,
nisi de rebus ad animæ salutem
spectantibus. Hunc in modum ab-
soluto biennio, vota religionis
fecit in eodem Collegio; quanto
cum

*Facit
Vota So-
cietatis.*

cum gaudio, non facile dixerim,
quod jam se Religiosum, & So-
cietati arctius devinctum videret.

CAPUT IV.

STVDIA, TERTIA PROBATIO,
Sacerdotium.

I.

S Studijs Theologiæ ita se im-
pendit Ludovicus, ut severa *Inter*
sibi lege præceperit, quidquid ab *studia*
ijs vacui temporis habuerit, non *nihil de*
aliter, quàm cum DEO vel cœliti- *virtute*
bus, orando, vel in obsequijs egro- *remittit.*
torum, cum facultate Superiorū,
consumere: quare nunquam, abs-
que necessitate, conspectus est ex-
tra suum cubiculum; quod in su-
prema Collegij parte, prope ho-
rologium sibi impetraverat, ubi
propter ascensus & frigoris, aliā-
que incommoda, jam nullus am-
plius habitat, illi hæc ipsa mole-
stiarum occasio fuit optatissima;

C quam